

007
Fax Regi

Th. Dne

32-19



Majestas Regis Congi sume optaret ad Altiss. Vrania Principem
et ad Summum Romanum Pontificem Nuntium mittere; cumq. propter
varia impedimenta aliquem ex suis pro nunc mittere non potuerit
nos infrascriptos Predicatores Capuccinos Ordinis S. Francisci ac
Missionarios Apostolicos in Regnum Congi ad talis Officium destina-
uit. Peruenimus faciente Deo, hui nocturno tempore usq. huc habite
Religionis nostrae induti; accepti fuimus in domo, quae uulgo dicitur
Cascauel Dorado. Significauerunt nobis, audiendo finem propter
quem ad hanc uenimus Ciuitatem, nullo modo conueniens esse tali
habitu incedere coram Altiss. Principe, sed omnino necesse esse nos
uestibus secularibus indui. Humiliter rogamus Dominationem tuam
ut intentionem Altiss. Principis explorari dignetur, an scilicet contentus
sit nos habite Religionis nostrae, nocturno tempore, et in curru ad domum
eius peruenire, ut nostro Officio fungi possimus, uel uestibus seculari-
bus indutos, et quo tempore. Et si uoluntas eius fuerit sine habite
Religionis nos ante ipsum presentes fieri, submitte petimus ab ipso
Altiss. Principe, ut dignetur talia nobis indumenta concedere; quia cum
Religio nostra maximam paupertatem profiteatur, ita ut neq. pecu-
niam, neq. aliquid proprium possidere possimus, impossibile est per
nos metipsos dicta indumenta obtinere posse, praesertim cum inco-
gniti simus in his partibus. Et quia mandatu ipsius Regis Congi
Romam profecturi sumus, cumq. iter longum, ac laboriosum sit, hyemem
accedat, ac nobis prohibitum sit equitare, suppliciter exoramus ut Altiss.
Princeps quam cito nos expedire dignetur. Fax Regi quae exuperat
omnem sensum sit cum Dominatione tua atq. ab omni malo custodia

Datum in domo suprad. die 7. Augusti 1677

Serui humiles in Dno

Fr. Angelus a Valencia
Capuccinus.

Fr. Joannes Franciscus a Roma
Capuccinus.

v. 98

Hug 32A

